RICHARDI SAMPSONIS, REGII SACELLI DECANI ORATIO, QVA docet, hortatur, admonet omnes potissimũ anglos, regiæ dignitati cum primis ut obediant, quia uerbum dei prȩcipit, episcopo Romano ne sint audientes, qui nullo iure diuino, in eos quicq̃ potestatis habet, postq̃ ita iubet rex, ut illi non obediant. Qui contra fecerint, eos perspicue docet, legem diuinam cõtemnere. Non est ergo quod sibi timeãt angli, de humana quauis potestate episcopi Rho. qui aliam quam humanam, hoc est humano cõsensu, in anglos non habet. Obediant igitur deo, non homini.

Hæc est ueritas uerbo dei firmata.

BODLEIAN LIBRARY OXFORD

LONDINI IN AEDIBVS THO. BERTHELETI.

NIHIL EST ALIVD IN SAcris literis, quod me tãtopere ad dilectionẽ dei, & proximi inuitat, q̃ illud Ioan. 13. ca. Mandatũ nouũ (inquit Christus) do uobis, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos, ut et uos diligatis inuicem. Nouum (inquit Christus) mandatum. &c. Quia prius solo uerbo docti estis. Nunc autem uerbo et exemplo, quia exẽplum uobis dedi, ut sicut dilexi uos. &c. Ex hoc loco, dilectionis duo genera docentur, dei scilicet erga hominem, et hominis erga hominẽ. Neq; nõ ex priore dilectione, proficiscatur tertium dilectionis genus necesse est, nempe hominis erga deum. Causam itaq; primę dilectionis cum audieritis, erit quoq; et postremæ dilectionis manifesta uobis causa, neq; non esse necessariam tertiam illam dilectionem, hominis erga hominem, facile perspicietis. Si non esset alius locus ullus, quam primum illud Geneseos cap. satis perspicua est dei erga hominẽ dilectio. Postq̃ enim alia omnia, quæ in celo, in terra, in mari, quinq; primis diebus creauerit deus, tũ sexto die, hominem, qui omnibus prę-esset fecit. Neq; modo fecit ut alia priora, sed ad imaginem suam fecit, deditq; omniũ rerum

Dilectionis tria genera.

Bonitas dei erga hominem.

dominum (fecit inq̃) ut prę ſit. &c. Hinc ait benedicẽs. Creſcite. &c. et dominamini piſcibus &c. Fecit præterea ad imaginẽ ſuam, quia ſenſum et intellectũ, et animam immortalem dedit. Quod ait ad ſimilitudinem. &c. Innocentiam præſtitit, quoad peccato amiſit, neq; tamẽ e paradiſo abiecto, rerum dominum ſuſtulit. Hinc Dauid bonitatem dei admirans erga hominẽ tam ingratum. Quid eſt homo (inquit) quod memor es eius? &c. Minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria et honore coronaſti. Oĩa ſubieciſti ſub pedibus eius. &c. Nunquid non maxima ſunt huiuſmodi beneficia, erga hominem? Sed aliud longe maximum dei beneficium eſt, quod priora oĩa lõgiſsime uincit. Miſit enim filium ſuum deus pater, cui non pepercit, ut ait apoſt. ad Rom. 8. ut nos filios iræ et damnationis, filios adoptionis efficeret. Miſit inq̃ filium, ut per eum ad patrem, qui nobis prius iraſcebatur, facilẽ acceſſum haberemus. Factus eſt enim homo noſtra cauſa, Omnes noſtras miſerias ut homo ſuſtulit. Paſſus eſt. Redemit nos, Patri nos reconciliauit. Lauit, mundauit peccata noſtra ſuo ſanguine, pro omnibus mortuus. Per ipſũ datur nobis remiſſio peccatorum. Ipſe interpellat pro nobis, pro nobis

Chriſti benignitas erga hominẽ.

nobis apud deum patrẽ mediator est. Nobiscũ præsens est semper, quoties eum in ueritate inuocauerimus, ut opem ferat in tempore. Sed frustra huius benignissimi Christi, erga genus humanum beneficia numerare conarer, cum sint lõgissime ineffabilia. Nos tamen suo monet exemplo. Sicut ego dilexi uos. &c. Quis tam ferreus est, ut hunc optimum deum, ex toto corde. &c. amare nolit? Hoc est dilectionis secundum genus, de quo tota scriptura loquitur, et toties admonet, ut deum diligamus, ut in eo spem omnem nostrã constituamus, illi nos totos committamus. Neminem prẽter ipsum timeamus, si eius negotiũ urgeat. Dominus protector (inquit) uitę meę, a quo trepidabo? Psal. 26. Timete eum inquit Christus, qui potest tradere corpus, et animã in gehẽnam ignis. Mat. 5. Neq; tamen seruilis timor esse debet, sed sanctus, purus, reuerentissimus, non aliter q̃ obsequiosissimus filius, amantissimum suũ patrem timet. Patrem amat ex animo. Offendere metuit, quia amat. Et si aliquando deliquerit, a patre non abhorret, sed eundẽ humiliter petit, ut ueniam impetret. Eodem modo et diligamus nos deum. &c. Et bonus quidem hic deus, ne simus uoluntatis eius ignari, uitę re-

Dilectio dei.

gulas tradidit. Docuit nos uias uitæ non huius tãtum, ſed potius ęternæ. Neq; multa ſunt præcepta, ſed duo tantum, ut deum ex toto corde diligas, et proximum ſicut teipſum, id quod eſt dilectionis terciũ genus. Vis ne ſcire, quo nam pacto deum diligas? Pauciſsimis uerbis docet Chriſtus. Si diligitis me (inquit) mandata mea ſeruate. Io. 14. Hic labor. Neq; prodeſt omnis labor, niſi dirigaris. Hinc orat propheta. Dirige greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moueãtur ueſtigia mea. Item. Greſſus meos dirige ſecundum eloquiũ tuum. In hac pręce ſoliciti ſimus, cum neutiq̃ ſufficiat noſtra imbecillitas, ut dei mandata ſeruemus, ut dirigamur in deũ. Sunt tamen multi ciuiles mores, natura docẽte, quos præcipit quoq; deus, qui in noſtro ſunt arbitrio, et poteſtate, ut faciamus. Ab illis qui ſe excuſare poteſt, nullus eſt. Qui igitur ea præcepta non facit, non ſeruat, digniſsimus eſt, qui uapulet multis. Luce. 12. Cuius generis ſunt, proximo non nocere, eius bona iniuſtẽ nõ auferre, furtum non facere, neminem dolo decipere, falſo crimine non urgere, id quod cũ primis impium eſt. &c. Præpoſitis obedire. Hæc etenim, et id genus alia multa, hominis ipſa natura docet. Sed poſtq̃ et eadem ſuo mandato firma-

firmauerit deus, oĩ conatu ut ſeruemus, elaborãdũ eſt. Et niſi quidẽ ſeruauerimus, erimus plane digni multimodo ſupplicio. Qđ aũt adieci inter alia, præpoſitis obediẽdũ eſſe, diligẽtẽ cautionẽ habeamus oportet, ut illi obedientiã præſtemus, cui debetur. Cui honorẽ, honorẽ. &c. Ad Rho. 13. Regẽ honorificate. 1. Pet. 2. Et ſis cautus oportet eo ne ſpreto, cui dei prȩcepto obedire teneris, illi obedias, cui nullam obediẽtiam debes. Hoc enim graue peccatũ eſt. Mãdat deus, ut regi obedias. Neq; modo hoc prȩcipit, ſed præterea niſi feceris, damnationẽ minatur, Ad Ro. 13. Quicquid ergo mãdat princeps, id facias oportet, quia ſic prȩcipit deus, modo nihil mãdet contra deũ. Neq; illi aut uerbo, aut facto, reſiſtendũ eſt, quia poteſtatem habet a deo. Et qui ei reſiſtit, dei poteſtati reſiſtit (inquit apoſt.) a quo poteſtatẽ accepit. Et qui illi reſiſtit ſibi damnationẽ acquirit, inquit idem. O magnum præceptum, et ab omnibus obſeruandiſſimum. Si uero ut ſerues non admonet dei amor, æternę damnationis timore, niſi deploratiſsimus fueris, ſeruab. plane. Hoc eſt præceptũ, quod ex uoluntate tua pendet, ut facias. Potes enĩ id facere. Et niſi quidem id feceris, nõ modo præſentaneam uindictã, ex manu regis me-

Obediendum regi.

ritus

ritus es, sed etiam ęternam, ex manu dei. Hinc ait apost. Ideoq; necessitati subditi estote, non modo propter iram, quia se potest uindicare de te, sed etiam propter cõscientiam, quia præceptum dei est. Et qui agit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Vis ergo nõ timere principis iram? Obediens esto, et malum ne facito. Si enim non obedieris, malum facis. Iram igitur time. Ab hac ira, ab hoc iure principis, inobedientes afficiendi, eximitur prorsus nemo, nullum genus hominum, nisi quos suo donauerit beneficio. Quicunq; ergo is est, qui non uult timere gladium, regi, et eius legibus obediat. Sin autem, time, quia potestatem habet à deo princeps, in hoc ipsum (ut ait apost.) quia minister dei est, ut inobedientes et malos coerceat. Est enim cõstitutus ad uindictã malefactorum, et laudem bonorũ, quos tuetur, defendit, honorificat. 1. Petr. 2. Et quemadmodum ad eius officiũ pertinet, bonos et probos tueri, et defendere, sic inobedientes et immorigeros, dignis pœnis afficere. Hanc potestatem habet a deo. Palam est. Scripturæ manifestæ sunt. Est enim uerbum dei, quo docemur, ut huic potestati obediamus. Neminem prorsus excipit. Neq; in sacris litteris unum iota reperitur,

A potestate regis eximitur nemo.

tur, quod immorigerum, et peccantem quempiam, à regia poteſtate eximat. Non eſt ergo quod mireris, ſi delinquentem aut ſacerdotem aut monachum, aut epiſcopum, ſupplicio affectum uideris, magis q̃ laicum. Si malum feceris (inquit apoſt.) time poteſtatem gladii. Hoc enim omnibus, et ad ſingulos omnes loquitur. Namſi deliqueritis, quæ nam gratia (inquit D. Petr.) ſi colaphiſati ſuffertis. 1. Petr. 2. Conuerſationem igitur bonam habete (inquit) ne uobis detrectare poſsint homines, tanq̃ de malefactoribus. Subditi igitur eſtote. &c. īquit. Vt ſimus ergo regi, et eius poteſtati, eius legibus ſubditi, in omnibus quę ad huius ſęculi negotia pertinent, mandat deus ipſe. Cum ergo hanc ſupremam poteſtatem habeat à deo, ut iam ex uerbo dei accepiſtis, mirum eſt reperire tam ſtultos homines, qui hunc regem ſupremi capitis appellatione ornari, quantum in eis eſt, nō ſinunt, et ut non recipiant alii, aut imprudenter, aut impudenter, et maleuole contendunt. Nōne ſupremi capitis nomine dignus eſt, cui ſoli in terris, data eſt uerbo dei, illa quam diximus, ſuprema poteſtas? Velim qui ſe doctos arbitrātur, vnam aliā poteſtatem proferant è ſacris literis, quę poſsit huic æquari. Hanc ergo poteſtatem

Supremum caput Rex.

habent reges ab ipso deo, eius ministri sunt, ab eo missi sunt, (ut ait D. Petr. in priore loco) eiusq; uicarii sunt. Omnes ergo huic potestati obediant necesse est, qui uolunt esse subditi deo. Alias quidem deum uere reiicit, uel spernit potius, qui non recipit eum, et ei non obedit, quē mittit deus, cui expressam hanc potestatem dedit. Vocetur idcirco supremū caput, quia uere talis est, uerbo diuino cōfirmatus. Id quod naturalis quoq; ratio, et usus rei aperte docent. Quis nescit totū regnū, unū esse politicū corpus, singulos homines, eiusdem corporis membra esse? Vbi nam est huius corporis caput? Est ne aliud quàm rex? Aliud plane non est. Aliud usq̄ reperiri non potest. Vsus rei hoc te manifestissime docet. Quid fieri, quid statui, quid decerni potest, absq; regio consensu? Quid laxari, quid dissolui, quid remitti, absq; eodem potest? Vides ne supremi capitis, supremam potestatem? Cur detractas illum suo nomine uocare? Si id per imprudentiam feceris, disce, et resipisce. Si maleuole, pœniteat te celeriter, et esto subditus deo, qui hoc mandat. Si nautē, ut communis pacis perturbator si afficiaris, iure pateris, et quidem diuino. Mandat ius diuinū, ut obedias. Pœnā statuit lex humana, suo iure.

Hoc

Hoc enim regi ſtatuendum relinquitur. Neq; eſt rex qui uindicat, ſed deus, cuius miniſter eſt, et a quo hāc accipit poteſtatē. Meum eſt enim conſilium. &c. Per me reges (inquit deus) regnant.) Pro. 8. Mihi (inquit deus uindicta, et ego retribuam, quia miniſter, uicarius meus, uel in hoc ſæculo retribuet meo nomine, uel ego ęterna pœna afficiam. Eſto cautus, ne utrunq; patiaris. Non poteſt plane non utrūq; pati, qui uerbum dei contemnit. Quid aliud eſt, q̄ contemnere uerbum dei, non obedire regi, miniſtro dei, uicario dei? Non epiſcopum illum Rho. hunc uicarium dei intelligo, qui ſuo iure non habet, quod agat, extra ſuam prouinciam. Epiſcopus eſt Rho. Agat Rhomę epiſcopum. In Anglia plus poteſtatis non habet, q̄ habeat Cantuariēſis Epiſcopus Rhomę. Nullum plane uerbū eſt in ſacris literis, quod illi extra ſuā Rhomanam prouinciam, miniſterii quicq̄ tribuat. Id quod tibi exploratiſsimum efficiam. Si quam tantopere ambit iure diuino poteſtatem habet, uerbo dei manifeſtum faciat, oportet. Sed de Rho. epiſcopo, magis q̄ de Cantuarienſi, nulla prorſus eſt in ſacris literis mentio. Ex hoc igitur fonte, hāc aquam haurire nequit, ubi nulla prorſus eſt. Quod ait ſe Petri

In epiſcopi Rho. arrogātam poteſtatem.

Diuus Petr. in Rho. Episcopum.

successorem esse, tum ab hac successione hanc potestatem accepisse, si adesset. D. Petr. negaret plane, et in hunc mendacem haud dubie clamaret: O impostorem, O uirum ambitiosum, superbũ, arrogantem. Docuit me magister meus CHRISTVS humilitatem, abnegationem meiipsius, huius ęculi, totiusq; fastus eius contemptum, pacem. &c. Sed qui meo nomine primatum sibi uendicat, q̃ habet nihil humilitatis, docent perspicue quidem externi mores. Ex fructibus cognoscitur arbor. Pro abnegatione suiipsius, omnia pro uoluntate, et libidine, facere ambit. Pro huius ęculi contẽptu, nihil tam amat, quàm quæ sunt huius sæculi. Fastu, pompa, gentiũ principes uincit. Pro pace, bellum ubiq; serit non aliam ob causam, q̃ ut uiuat ipse, agatq; omnia pro libidine. Hæc inquam, et longe plura de Rho. episcopo, diceret D. Petr. si adesset. Sed de Rhomanis corruptissimis moribus, et abominabilibus, ut ait Psal. 13. interim taceo. Non enim minori negotio, oceani omnem prope aquam exhaurirẽ, q̃ illos mores omnes recenserem, et pro dignitate tractarẽ. Deum præcor pro christiana charitate, ut deum agnoscere discat, agnitum amet, ut quæ præcipit Christus, tandem incipiat studiosius

dioſius epiſcopus Rhom. imitari, ut quemadmodum iam pleriſq; annis, omnium fuit abominationũ (ut uno uocabulo mala omnia cõplectar) parens, et pater, nqn Chriſti, ſed ſathanæ opera porrigens, ita et tandem reſipiſcat, ut de uno tam famoſo peccatore conuerſo, gaudeant multi chriſtiani uiri, qui nunc illum odio proſequuntur, odio inquam, bono, et iuſto. Iniquos (inquit propheta) odio habui. Et cum primis diſcat epiſcopus Rho. intra ſuos fines ſe continere. Stulte enim id uendicat hæreditario iure, quod ſancti parentes, neq; habuerunt unquam, nec habere uoluerũt. Nihil enim minus arrogauit ſibi D. Petr. q̃ huiuſmodi primatum. Exercuit nunquam. Ideo non exercuit, quia nõ accepit. Nuſquam reperies illum, aut aliquem apoſtolorũ aliquando miſiſſe, aut alicui iuſsiſſe quicq̃. Illum ab apoſt. una cũ Iohanne, miſſum legimus, Act. 8. Quod autem in Ananiam fecit Petrus Act. 5. non ut primatum habens, ſed tanquam unũ apoſtolorũ feciſſe, tam ex principio illius cap. q̃ ex alia parte exploratum eſt. Ait enim, nõ ad Petri, ſed ad apoſtolorum pedes, Ananiam, agri prætium poſuiſſe. Poſtea uero, ne Petrum in Ananiam id feciſſe putaretur, ſuperioris poteſtatis gratia, non per manus

Nullum primatum accepit Diuus Petrus.

Petri, ſed per manus apoſtolorum (inquit Lucas) fiebant ſigna, et prodigia multa in plebe, ſpiritu prophetię huic malo uelut occurrens. Neq; in alio loco, ut tolleretur murmur græcorum cõtra Hebræos, multitudinem diſcipulorum cõuocauit Petrus, ſed duodecim, inquit &c. Act. 6. Neq; conſtat in illo loco, quis eorum ad multitudinem ſermonem fecerit. Dixerunt (inquit) &c. cũ tamen præſentes eſſent duodecim omnes, quia ſic narrat Lucas, quorũ unus erat D. Petrus. Quod ſi abſolutã illã, quã iactãt haberet ſolus Petrus poteſtatem, quid de Paulo dicemus, qui eo incõſulto, Corinthios, Galathas, Rhomanos ipſos. &c. ſua doctrina ſolidauit. Timotheum, Epheſiis, Titum Cretis, ut quæ deeſſent, corrigeret, preſbiteros per ciuitates conſtitueret. &c. præpoſuit, ipſum Petrum in facie reprehenderit. &c. Neq; contulit euangelium cum ſolo Petro, ſed cũ apoſtolis. Ad Galat. 2. Quod ſi D. Petro, primatum poteſtatis, aſſerere uoluerimus, ultra iudęos non protenditur, Pauli teſtimonio, qui ſe poſitum ait predicatorem gentium et doctorem. 1. Timoth. 2. Et non minus creditum illi, euangelium præputii, quàm Petro circunciſionis. Neque Petrum neq; apoſtolos reliquos omnes,

quic-

quicquàm illi contuliſſe ait. Neq; Petro primatus quicq̃ tribuit, ſupra alios apoſt. Ait enim: Iacobus, Cephas, et Ioannes, qui uidebãtur columnę eſſe, ſocietatis dextras dederunt mihi, et Barnabę, Ad Galat. 2. In quo loco non modo Petrum ęquat aliis, ſed etiam primę uocationis honore non præmittit. Priorem enim Iacobũ nominat. Neq; ad rem pertinet, quod Petro loqueretur Chriſtus, in euangelio, dicens: Ego dico tibi quia tu es Petrus, et ſuper hãc petram, ædificabo eccleſiã meam. Mat. 16. Non enim ædificauit Chriſtus eccleſiã ſuam ſuper Simonem Petrum, ſuper hominem, hoc eſſet plane ſuper harenam ędificare, ſed ſuper illam fidem, quam confeſſus eſt Petrus, quod Chriſtus eſſet filius dei. &c. Huic ait in Simonis Petri perſona omnibus apoſtolis: Simon, ecce ſathanas expetiuit uos, &c. Ego autem rogaui, ut nõ deficiat fides tua. &c. Luc. 22. Quod autem dixi Chriſtum loquutum omnibus apoſt. in perſona Petri, ne uideatur ſomnium eſſe meum, omittam omnes ueteres interpretes, tam græcos, q̃ latinos, et ſolum mihi Lyranum, familiarem illum et domeſticum, omnibus Rho. epiſcopi adulatoribus interpretem accipio. In illo enim loco. 16. Matth. ſic explanat. Et ego dico tibi q̃

pro

pro te, (inquit Lyranus) et pro ſociis tuis, quia tu es Petrus, id eſt, confeſſor ueræ petrę, qui eſt Chriſtus factus, et ſuper hanc petram quam cōfeſſus es, id eſt ſuper Chriſtū, ędificabo eccleſiam meam. Hæc Lyranus ad uerbum. Neq; alius eſt ſenſus illius loci, Luc. 22. Fides etenim Petri, quam confeſſus eſt, non illius ſolius Petri eſt, ſed totius eccleſiæ. Sic orans pro fide illius, orauit Chriſtus pro fide eccleſiæ, id quod ſolū fundamentum eſt. 1. Corinth. 3. Quod autem addidit, Luc. 22. Tu aliquando conuerſus, cōfirma fratres tuos. Hoc enim et ad omnes, et ad ſingulos quoſq; fideles, in Petri perſona, loquebatur Chriſtus. Eſt quidem officiū uniuſcuiuſq; Chriſtiani uiri, fratrem ſolicite docere, conſolari, corripere. &c. Conuertamur igitur omnes (inquit ibidem D. Ambroſ.) et caueamus, ne in perditionē, aliqua inter nos de prelatione poſsit eſſe contentio. Item paulo poſt, ſermonem ad deum uertens: Tua (inquit) ædificatio quæritur, non alterius honor. Et ideo datur una omnibus forma ſententiæ, ut non de prælatione iactantia ſit, ſed de humilitate contentio. Hactenus Ambroſius. Quod autem ait Chriſtus ad Petrum, et tu cōuerſus. &c. Non ſentit de futura ſua poteſtate, ſed quod

modo,

modo, cum conuersus fuerit, et fidem receperit, et quidē celeriter, quia primam dei sequutus est uocem, (ut ait D. Ambros.) studeat alios in eadem fide confirmare. Id quod nullius christiani uiri, non est officium, ut supra dixi. Hanc itaq; doctrinam omnibus dedit, in persona Petri, potissimum uerbi prædicatoribus. Non erat itaq; ecclesiæ potestas in persona Petri. Absit, ut ab humana fragilitate pēdeat Christi ecclesia, sed cum esset primus apostolorum, ordine, non potestate, propter illum primatum (inquit August. Ioan. ultimo) non uere, sed figurata generalitate, ecclesiæ personam gerebat. Quod autem ad ipsum Petrum proprie pertinet (inquit Augustin.) unus homo erat, gratia, unus Christianus, abundantiore gratia, unus idemq; primus apost. &c. Lege ibidem quæ sequuntur in nostram sententiam, adeò perspicue, ut nihil clarius. Primus erat apostol. non primaria potestate præditus. Erant enim potestate æquales. Nec trina illa interrogatio, una cum commissione, ut oues pasceret Ioan. ultimo, magis ad Petrum, quàm alios apost. pertinet, nisi quod trina illa interrogatione, petrum confirmare uoluit Christus, commemoratione, prioris trinę negationis suę, ut solidius

in fide incederet. Hinc ait: Sequere me. Neq; trina illa Christi interrogatio de dilectione, omnes nō solicite admonet, de fide erga deum, et dilectione eius, unde omnis uirtus emanat. Si adesset itaq; D. Petr. nihil haud dubie magis ægre ferret, q̄ quod suo titulo, suoq; nomine, hanc plusq̄ secularem potestatem, sibi uendicat Rho. episcopus. Si enim D. Petr. hanc potestatem a Christo accepisset, cum illo mandato, ut solus exerceret, ab eoq; suam potestatem acciperēt alii omnes, ut nunc sibi arrogat Rhom. episcopus, et peccasset ualde Petrus, qui iussioni non obtemperabat, et perditissime errassent, qui absq; eo, in ecclesia Christi ministrassent. Neq; hanc rem tacuisset in apost. actis Lucas haud dubie, qui post Christi ascēsionem, apostolorum gesta scripsit. Sed q̄ alienū est ab actis apost. iam satis perspicue diximus. Cum ergo hanc non haberet potestatem D. Petr. unde arrogauit sibi Rho. Episcopus? A principum scilicet, atq; populorum nimia tollerantia, et illius loci Episcoporū fœda ambitione, et superbia. Id quod ut omni sole clarius perspicias, efficiā, neq; tam multis. Primū, certius aliud nihil est sub cœlo, q̄ quod Episcopo Rho. aut primatus, aut potestatis, plus non tribuatur, iure diuino, q̄

Vnde prodit episcopi Rho. arrogata potestas.

no, quàm cuiuis alii Episcopo, siue in Anglia, siue in Gallia, siue in Italia, cum ne D. quidem Petr. haberet. Supereſt ut eam, quam arrogat poteſtatem, humano iure habuerit, neceſſe eſt. Pleriq; igitur ex primis Rho. pontificibus, neq; ambierunt, neq; exercere aliquãdo conati sunt, neq; illis, aut eorum cuiuis, tribuerunt alii talem poteſtatem. Extãt quidem nonnulle familiares epiſtolæ D. Cypriani, episcopi Cartaginenſ. ad Cornelium Rho. episcopũ, ducentos et quinquaginta circiter annos poſt Chriſtum. Quantum uero primatus illi tribuat, illarũ ſuperſcriptio docet non obſcure. Cyprianus Cornelio fratri (inquit) ſalutem. Neq; epiſtolarum uerba, ampliorem illi poteſtatem tribuunt. Fidem uero uerbi dei, quam ambo apoſtoli Petrus et Paulus, tam ſua doctrina q̃ tãdem martyrio, ſolidam reliquerunt, prę cęteris locis Rhomæ, et uenerati ſunt priſci illi patres, et integram adhuc Cypriani ætate, ſeruarunt fœlices Rho. Epiſcopi. Neq; Damaſo Rho. episcopo, trecentos et quadraginta octo circiter annos, poſt Chriſti ad patrem hinc reditum, alium primatum tribuit D. Hiero. in ſuis ad eum epiſtolis, q̃ ut fidem illius Rho. ſedis imitetur, et eam magnifaciat. Quod autem ait, D. Hiero. Extra hanc

domum qui agnum comederit, prophanus est, in epistola quæ incipit: Quoniam uetusto, to. 3. pag. 59. extra hanc fidē, haud dubie sentit, quātumuis in illo potissimum loco, nō tam syncere loqui uidetur Erasmus, q̄ in aliis plerisq; locis, qui illam domū nimis inaduertenter Rho. ecclesię primatum interpretatur. Non enim in illa ætate agnoscebatur huiusmodi primatus. Quod si aliud nihil extra sacras literas, huius primatus uim eneruaret, de ipsoq; omnē opinionem tolleret, satis mea sententia, primum illud sanctissimum Niceni cōsilium, omnibus ut certam doctrinā accipiant, sufficeret, in quo, neq; aderat Ro. episcopus, neq; pręerat uicarea quauis potestate. Procuratorē ut confrater, & coepiscopus, illuc miserat, in eodemq;, in hunc ordinē cōstitutus est Rho. episcopus, ut apost. Petri et Pauli honoris gratia, primum locum inter Episcopos haberet, alium primatum nullum. Neq; gręcorum ecclesia, inter tot beatissimos, eosdemq; in sacris literis doctissimos uiros, alium aliquando de Rho. ecclesia primatum, agnoscere uoluit. Id quod miretur nemo, cum postea in Africano consilio, ducētorum, decem & octo. Episcoporum, id idem negatū est Bonifacio Rho. episcopo, qui primatum

tum ambiebat. Præsens erat Diuus Augustinus, Aurelio Valentino episcopo, prę̃sidente. Si uerbo dei hãc supremam potestatem haberet Rho. episcopus, tot optimos, et eruditissimos patres, utriusq; lingue, haud dubie non fugisset, neq; negassent, quod sacrę literę firmassent. Nulla ergo de uerbo dei erat controuersia, in Africano cõsilio, quod ad primatũ Rho. episcopi attinet, sed an talem illi potestatem dedisset Nicenum cõsilium, humanus consensus in dubiũ uocabatur. Hinc et Rhomani episcopi procuratores, ut Niceni cõcilii articulos acciperẽt, rogarant Africani, et ne dolo circumuenirentur, in Greciam nũcios miserunt illi, qui afferrent. Hæc gesta sunt, ad quadringẽtos uiginti quatuor annos, ab anno salutis. Non obiiciat nobis Anglis argutus quispiã, quod Rhomanæ sedis solicitudine, regnante Lucio, primi omnium prouinciarum, anno salutis humane. 182. Christi fidem accepimus. Quis nescit non hominis, sed dei esse donum fidem? ut ait apostolus, ad Rho. 12. Id quod in hoc loco perspicuũ est. Quia Lucium regem, non solicitauit Eleutherius Rho. episcopus, sed per literas egit Lucius cum Eleutherio, ut Christi fidem, hoc est fidei regulas, acciperet, Misit itaq; Eleutherius,

Fugatium et Damianum. &c. Neq; non poſtea, Anno a natali Chriſti. 603. Auguſtinum & Miletũ Monachos, una cum aliis miſit Di. Gregorius qui prope extinctam in Britannia fidem, Anglorum dominio, renouauit, normas religioſę uitę in Chriſto nonnullas dedit. &c. Hæc et nonnulla alia nobis, inq̃ obiiciunt, quibus Rhomanæ ſedi, nos obligatiores docere cupiunt, q̃ alias nationes, paucis reſpondetur. Niſi Eleutherius rogatus a Rege, uiros miſiſſet, qui ſanctum conatum ſuum auxiſſent, eiuſq; petitioni ſatiſfeciſſent, haud Epiſcopi nomine, ſed demonis dignior fuiſſet. Magis miror illũ non accurriſſe. Gregorii ſolicitudinem quis nõ laudat? Eius canones libenter Ethelbertus rex amplexus eſt, aliud non docentes, q̃ ſanas, et religioſę uitę in Chriſto regulas, quibus uelut duceretur facilius in fidẽ Chriſti, nouitius adhuc populus. Non imperium ſibi arrogauit, dominari non ambiebat, uenit, exemplo Chriſti, miniſtrare, non miniſtrari. Aliis mandatis, iuſsionibus, imperiis, regnare noluit, q̃ uerbo dei. Nõ coegit prouincię homines ad ſe uenire, dirimendarum cauſarum gratia, citationibus, cõminatoriis, excommunicationum territũlamentis, populum uexare noluit. Tantum ad

ſanam

ſanam uitam hortatus eſt. In hac re omnem ſolicitudinẽ exercuit, omnes uires exhibuit, quęrens non quæ ſua fuerunt, ſed quæ Chriſti. His mandatis obediebat Chriſtianiſsimus rex. His monitionibus parebat populus deo deditus, nõ quia iubebat homo Rhom. epiſcopus, ſed quia mandat deus. Non ſuis uerbis hortatus eſt, ſed Chriſti. Ab hoc uerbo cũ degenerauerit Rho. epiſcopus, quid iuſtius, q̃ illum, et ambitioſos eius canones omnes reiicere, reſpuere prorſus? Non enim ſunt Chriſti, ſed uere huius ſæculi canones, qui aliud q̃ faſtum, ambitionem, ſuperbiam, auáriciam, non docent. Hinc inſignis huiuſmodi primatus, hĩc dominium, pluſq̃ regum gentium, hinc abhorrẽdum illud pedum oſculum. Paulus, et Barnabas, exilierũt in turbam, etiam conſciſsis ueſtibus præ dolore, cũ eos cępiſſet adorare populus, clamantes, et nos mortales ſumus, ſimíles uobis homines. Act. 14. Cum uero ad Petri pedes, procideret Cornelius, illico eleuauit eum Petrus, dicens, Surge, et ego ipſe homo ſum. Act. 10. Quo nam igitur modo cupit Rhom. epiſcopus, ut ei ſint audientes chriſtiani populi, poſtq̃ omnia quæ docet, quæ facit tam ſunt aduerſa CHRISTO: aut enim Chriſtus deſerendus eſt, aut his moribus

ribus Rho. episcopus. Nemo potest duobus his dominis seruire. Quam diu Christum sequuti sunt Rho. episcopi, nulla fuit omnium christianorum natio, tam illi subiecta, tam obediens (non supremæ potestatis gratia, sed sua sponte) quàm Anglica, in magnam usq; superstitionem. Neq; non diu et multis quidem annis intollerabiles ab hac sede Rho. molestias, iniuriasq;, sustinuit anglica resp. Postq̃ uero neq; modus, neq; finis reperiri posset, prudentissimus rex, non aliter quàm debuit, quamuis tarde, suę reipublic. consuluit. Constituit ille, cui omnes uerbo dei obedire tenemur, ne obedientiam illi præstemus, qui nullo uerbo dei, obedientiã exigit. Qui ergo Christianus et haberi, et esse uult, CHRISTI uerbo obediat necesse est. Regi obedire teneris uerbo dei, ut perspicue docuimus, Rhomano Episcopo neutiquam. Iubet rex ut illi obtemperes, Iubet Rhomanus episcopus, ut illi te subiicias: Iubet rex uerbo dei. Humano iure sibi uendicat Rhomanus Episcopus: Si te Christianum fatearis, dei uerbo parebis. Si me diligis (inquit CHRISTVS) Serua mandata mea. Nam qui non diligit me, mandata mea non seruat. Qui non est

mecum

mecũ,contra me eſt,inquit. Vt ergo ſis ex parte dei, agas quod mandat deus neceſſe eſt. Alias quidẽ eris plane de inimicis illis, qui noluerunt regem regnare ſuper ſe, ut ait Lucas. cap. 19. qui moriemini in peccatis ueſtris, quia deum non modo non diligitis,ſed etiam odio eum habere uidemini,quia uerbum eius reſpuitis,& plane cõtemnitis,poſtq̃ id docti eſtis,niſi ſpreta omni humana poteſtate, uerbo dei obedieritis. Verbum dei eſt, obedire regi, non epiſcopo Rho. Quodam tacito humano conſenſu, irrepſit in hanc ditionem Rho. epiſcopus. Ex multis, et quidem iuſtiſsimis cauſis, ut partim ſupradiximus, expreſſo conſenſu ſancitum eſt, huic poteſtati, amplius ne ſubiugamini. Hoc mandat deus, quia rex, dei in terris miniſter, cui uerbo dei ſuprema poteſtas datur, hoc prȩcipit. Vtitur iure ſuo. Non uult amplius pati, ut qui diu nimis, non alia q̃ precaria poteſtate uſus eſt, illum è ſuo iure extrudat. Huic ſancioni obedire tenetur quiſquis anglus eſt, ut cum primis, regẽ, huius reip. Supremum Caput diligatis, ut uos omnes qui huius capitis membra eſtis, diligatis inuicem magis ac magis, ſicut ego (inquit CHISTVS) dilexi uos. Vt ab hac unanimi dilectione, uitam quietam in hac momentanea

uita

uita agatis, et post hanc uitam, filii sitis dei, cohæredes CHRISTI quæ diligitis, cuiusq; uerbo obedistis in uitam æternam.

AMEN:

FINIS.

¶THOMAS BERTHELETVS REGIVS IMPRESSOR EXCVDEBAT.

CVM PRIVILEGIO.


L CRECI
ROMANA
AS
THOM
BERTHELETVS